



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Clavdivs. Res extra Europam gestas, & alia quædam / suppluit Petrus
Possinus Ex Eadem Societate ; Francisco Sacchino

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCLXI

Reverendis Patribus Et Carissimis Fratribus Societatis Iesv Petrus Possinus
Ex Eadem Societ. Salutem in Christo veram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98261](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98261)

REVERENDIS
PATRIBVS
ET CARISSIMIS
FRATRIBVS
SOCIETATIS IESV

PETRVS POSSINVS EX EADEM SOCIET.
Salutem in Christo veram.



IN hoc primo aditu expectati expetitque diu Vobis Operis, & desiderijs vestris, & officio meo debere me sentio distinctam exactamque operæ à me in hac eius Editione positæ rationem. Franciscus Sacchinus, quem Historiæ nostræ iure Patrem nominaverim, præter ea quæ hætenus eius ingenio de rebus nostris composita legitis, viginti quoque primos Annales Præfecturæ Quinti Generalis Claudij Aquaviuæ, stylo comprehensos moriens reliquit, non illos quidem vltima politos manu, aut suis finitos numeris, nam & Lacunæ aliquot locis hiabant, & Transmarinæ res omnes Africanæ, Iaponicæ, Sinicæ, Brasiliæ, & vtriusque Indiæ, haud contemnenda vtiq; Historiæ pars, exclusæ omni mentione, silebantur. Has Ego iussu Maiorum acri diligentia complexus Schedas, cum vniuersas attentione summa recensui; tum hiatibus vbi oportuit expletis, Insularum extra Europam, Africanorum etiam, Indicorum, Iaponicorum, Sinensium, Brasilicorum, Mexicanorum, Peruuensiumque Actorum ad singulos Annales Narrationibus adiunctis, in hanc formam atque ordinem digessi; Librisque Viginti Priorem huius Partis absolui Tomum (quem ipsum, ne intractabili mole turgesceret, in duas partiri Decadas oportuit). Neque enim Claudia Nostri Ordinis Tempora, quatuor Priores simul iunctas Præfecturas annorum propè numero æquantia; multiplicatione vero Personarum & Prouinciarum; præterea magnitudine ac varietate successuum; nec non intricatissima perplexitate litium certaminumque variorum, facîle in duplum excedentia, vno volumine coarctari potuerunt. Ac ne omnia quidem his annis viginti gesta prior hic Tomus exhibebit. Sed quæ hic & quibus de causis omittantur, vel potius differantur,

✱ 2

oppor-

1
Scripta P.
Sacchini
quæ nunc e-
duntur, quo
statu ab illo
relicta.

2
Quid in ijs
suppletum.

3
Cnr tota
pars Quinta
vno volumi-
ne compre-
hendi nequi
uerit.

P R A E F A T I O

opportunior erit in fronte alterius voluminis profitendi locus . nunc enim nihil praeuertendum arbitramur ei officio , quod ab Editoribus Posthumorum Operum , bono & passim probato more , Autorum memoriae solet reddi . Franciscus Sacchinus qui primum Historiae Societatis Volumen ab Alio scriptum edidit , eique alia quatuor sua diligentia collecta , suo stylo expressa , continuauit , Vir fuit doctrina , eloquentia , & , quod caput est , insigni virtute ac religione commemorabilis in paucis , Ortus in Castro Paciani , Diocesis Perusinae , circiter annum superioris saeculi septuagesimum , à puero ingenuus disciplinas magnis profectibus arripuit . Adolefcentis duodeuiginti annorum Societati nomen dedit , mense Octobri Anni 1588 , ac consuetis experimentis ritè probatus , rudimentum docendi posuit in Florentinae Rhetorica , haud vulgari argumento , quanta iam tum eius ingenij ac facultatis opinio esset . Mox ad decus Romani Collegij pertinere visum , vt eò Sacchinus ad Humanitatis professionem euocaretur : quae splendide perfunctus , Philosophiae ibidem ac Theologiae spatia paritudo ac profectus felicitate decurrit ; idoneus etiam iudicatus illis tractandis ex professo disciplinis , nisi aliquantò micantior ad politiores literas indoles incitamento Moderatoribus fuisset , vt eum Romanae potius Rhetorum Cathedrae praeferent . Theatrum hoc diu nobile ingenij atque industriae Sacchino fuit , vbi studio , stylo , crebra & ornata dictione , quotidianis Praelectionum eruditarum Scholis , frequenti cultissimorum panegyri Carminum , caeteraque loci eius ac muneris varia & semper felici functione , tum quos non quarebat Admirantium plausus , tum quos vnice consecretabatur Audientium profectus in omni genere laudis adeptus insignes est ; consumpturus in spisso & actiuo Ministerio aetatem ac vitam perlibenter ; nisi quos nutu Maiorum & alacriter adierat , & constanter exercebat labores , abrumpere mutatis imperijs iuberetur , Sublato videlicet acerba morte Nicolao Orlandino , cui Societatis Historiae scribendae cura demandata fuerat , non alius aptior reperiebatur qui succederet . Translatus ergo in Domum Probationis S. Andreae , in eo secessu totis annis duodeuiginti continuis , haec quae leguntur commentatus volumina est , acri conquisitionis diligentia , nitida concinnitate dispositionis , eleganti sermonis vbertate . Inde Anno huius saeculi vndeicesimo à Mutio Vitellescho Generali aduocetur intimè Gubernationi Societatis , in omnium consortium curarum Secretarij nomine ac munere assumptus . Septem ibi fuit annis & mensibus totidem , vsque ad mortem , praematuram si tempus numeres , quippe anno aetatis quinto ferè supra quinquagesimum representatam ; si virtutum ac rectè factorum ineatur ratio , planè tempestiuam ; & longis assiduisque fesso laboribus , quietis opportunae gremium pandentem . Palam & saepe de illo profectus idem est Mutus Vitelleschus Praepositus Societatis , vir & pro notissima peritia perficendorum animorum , & pro intima cum Sacchino consuetudine .

4
Francisci
Sacchini or
tus .

Ingressus in
Societatem .

Prima mini
steria & stu
dia .

5
Is Rhetori
cam Romae
docet .

6
Praeficitur
scribendae
Historiae So
cietatis .

Mense Maio
Anni 1619 .

7
Fit Secreta
rius Socie
tatis .

8
Iudicium de
eo Mutij Vi
telleschi .



IN TOM. I. PARTIS V.

octo ferme annorum , in primis idoneus cui credatur , professus inquam est : videri sibi Franciscum Sacchinum omnium quidem virtutum exemplar perfectum esse , eminere tamen in eo sui demissionem & amabilissimam modestiam . Huius eximiae Laudis quæ cæterarum fundamentum habetur , exempla hic quædam ponam paucissima de plurimis . Fateri humilitatem generis adeo nunquam erubuit , vt ostentare vltro gauderet . vti cum Patrem aliquando è rure patrio profectum ad Urbem , & sibi cum apud cœtum illustrem , pro more , cum plausu diceret , forte occurrentem , statim coram omnibus , exquisitis honoribus excepit : moxque vestitum , vt erat , parum lautè , totaque specie ac cultu magis indicantibus vnde veniret , quam vbi tum esset , decentibus , per atrium multa nobilitate frequens , ac per Romani Collegij ambulacra circumduxit , notis omnibus nostris aut Externis , vt cuique occurrerat , profitens , hunc suum parentem esse : nemine non eximiam viri pietatem , pari sui contemptu coniunctam , prædicante . Sub studij Theologici finem proficiscens Roma Neapolim , per totum id iter vbi ad hospitia diuerterat vespere , ocreas Socio , vt id sineret arte multa persuaso , flexis ante iptum genibus manu sua detraxit . Nunquam contendebar : nihil sinistrè interpretabatur : culpabat neminem . honore præueniebat etiam infimos , liberalissima humanitate . Secretarius Societatis dum aliquando mandata Generalis accipit , parum aduertit præterijisse adiutorem Laicum , humilis domi curatorem ministerij , quem ideo salutantem non resalutavit . Hoc postmodum comperto , adit hominem , & ei diligenter excusat attentionem ad negotium suam , rusticitæque (sic enim aiebat) vt ignoscat suæ , petit . Per annos octodecim quibus in D. Andrea diuersatus est , exercitationes Tyronum , eas præsertim quæ ad sui demissionem assequendam faciunt , tanquam vnus ex ipsis frequentavit . Itaque cum ijs flato tempore in cœtum congregatis , errata cuiusque proferrentur , inferebat se quoque turbæ , ac suos etiam defectus pandi magnoperè optabat . Iam cultu vestituque illius nihil pauperius . Zona erat è veteri Lacinia vilis panni multis locis rupta , & totidem nodis resarcita . inde corona pendeat globulorum decolorium è ligno vulgari . Atqui aliæ exquisiti pretij passim ac certatim offerebantur , vti & icones sacroræ , reliquariæ pyxides , Ecclesiasticarum precum libri , Tabellæ , ac cætera id genus artis aut materiæ raritate pretiosa ; qualium nihil vquam adhibere ad proprium vsum voluit . Quid illa parua dictu , significatu non leuia , memorem ? vnus calceis decem annos vsum : calamos duos quos in secretarij cubiculo , munus istud iniens , repererat , post continuatos scriptione assidua dies totos cum parte noctium , à moriente post octennium adhuc vtiles relictos . Rarè cubiculo , multò rariùs domo prodibat ; nec vquam nisi necessarijs de causis : ac tunc semper mirabiliter collectus in sese , defixis in terram oculis , tenaciùs etiam quam honestæ Virgines soleant : vultu tamen vel sic

9
Demissionis
ipsum exem-
pla.

10
Paupertas
eiusdem.

11
Custodia
sensu mira.

amcenam gratiam , interioris latitiæ indicem , spirante , vnde quibus prudens intelligeret ; ijs illum in arcano frui gaudijs , quæ facile spectaculorum quorumuis speciem splendoremque compensarent . Faciam fidem vix alioqui credibili asserto , referendo dictum P. Stephani de Bubalis Collegij tunc Pœnitentiariæ Rectoris , quod ab aurito teste comperi . Is Sacchinum ad se negotij causa profectum , cum officiosè deduxisset vsque ad Limen domus , sitæ in Platea Vaticana , è regione vberrimi pulcherrimique Fontis : ibi familiari arrisu frontem exporrigens : queritur hic de te , inquit , P. Sacchine , ac iampridem murmurat fons , quod cum à Peregrinis cupidissimè visatur ; Ciuium quoque numquam satiatos oculos teneat , tu ne vno quidem suspectu digneris speciosissimam istam suam eiacularum Siphonibus , & cum altè salientium , tum sonorè recidentium pompam aquarum . Ad eam Sacchinus suauiter renidens : vtinam , Pater Rector , illius tantò potioris , cuius Christus meminit , fontis aquæ salientis in vitam aternam , conspectu dignemur . Fuit cum accersitus è Domo Professæ in Domum S. Andreae à Generali tum ibi agente , producto longius necessario sermone , non nisi hora noctis prima se reciperet domum ; ac festos in triuijs miratus ignes , è Socio requireret , quid id rei foret ? cui ille : nempe hodierna , de qua audisti , Pater , Cardinalium promotio , hisce latitiæ signis , more Vrbs antiquo , celebratur . Itane sic solet fieri ? respondit Pater : equidem qui triginta propè annis Roma fuerim , ad hanc diem id numquam aduerteram . Nullam relaxationem , nullum otij momentum indulgebat sibi ; semper vel Orationi , vel Lectiõni , vel Scriptioni affixus ; mirante ac non semel prædicante Mutio Vitellescho Generali , contentionis indefessæ perseuerantiam humana prope vi maiorem . Audiui à quodam qui assiduus illi atque intimus multis annis vixit , cum sanctè testaretur : nullum se vniquam in eo mœstitiæ , metus , iræ , exultantioris gaudij , aut cuiusuis omnino perturbationis indicium notasse . adeo pax Dei beata ipsius complens animum , sensuum motus semper omnes exuperans , cœlesti cunctos tranquillitate componebat . vnde fit credibile , quod ipse Amico cui dam , qui mihi retulit , aliquando fassus est : Se nunquam , quoad in Societate fuit , præscriptas domestica disciplina quotidianarum actionum statas vices , atque horas solitas , mutasse ; hoc est , numquam non suo tempore Orationes , Examina conscientiæ , cæteras religiosas , aut quoquo modo Regula imperatas functiones obiuisse : quod in homine curis acerbis implicito , multiplicibusque ac magnis negotijs districto , haud leue compositissimæ mentis indicium est . His ille rebus assequebatur , vt Venerabilis carissimusque esset : ij porro qui prudentiores æstimatores Dei donorum eum attentius obseruabant , diuitias mentis introspiciebant & admirabantur in eo maximas . Ex his P. Ioannes Baptista Carminata , qui religiois , eloquentiæ , doctrinæ , gubernatricis prudentiæ

12
Otij fuga &
labor altitudus .

13
Tranquillitas mentis
excellens .

14
Constans ob
seruatio disciplinæ
domesticæ .

IN TOM. I. PARTIS V.

dentia experimentis insignibus, diu & ubicumque fuit, præbitis, illustrem omni laude vitam sancto fine coronavit: Mutio Vitellescho Societatis Præposito asseueranter confirmavit: Multos se præclaros in Societate nouisse homines: neminem tamen uidisse qui sibi ad Constitutionum nostrarum normam ita exactè formatus, ac quasi eliminatus, vt Sacchinus, videretur. Hæc ille: quibus hoc nos addere res cogit: Siquidem alios Sacchinus alijs vicit laudibus, seipsum profecto, suasque virtutes reliquas, religione in Deum ac Caritate superauit. Horam quotidianæ Meditationis iniunctam omnibus, positus semper humi genibus, in medio cubiculo, sine fulcro, nudo capite, iunctis ac sublatiis manibus explebat. eodem ferè habitu imperatum Sacerdotibus Sacrarum precum pensum exolvebat. Sic Examina Conscientiæ, sic priuatas publicasque cæteras orationes exercebat, summa semper attentione ac reuerentia. quin sibi latum reputans Apostoli præceptum, sine intermissione orandi, nullo loco ac tempore, quidquid meditaretur aut ageret; intermittebat Deum intueri præsentem semper, eique humili veneratione submissus apparere. Multos Cœlitum cultu præcipuo venerabatur: sed inter eos peculiari affectu propendebat in venerationem ac laudem B. Francisci Borgiæ, cuius cum virtutes cæteras plurimum mirabatur, tum præsertim studium paupertatis sui que demissionem conabatur imitari. Contendebat idem præcipuè tamen omnes neruos pietatis atque industriæ, cum quotidiano Missæ Sacrificio se accingeret. vbi vero ad aram accesserat, angelica deuotione totus ardere cernebatur. Sacro peracto flexis genibus per mediam fermè horam Christum sui pectoris hospitem venerans gratulanque alloquebatur, nec ipsum semper tacentem. Nam haud vanè creditur ab eo Mortis suæ diem, arcanum Mortalibus celatissimum, Sacchinum tali potissimum tempore, didicisse. Obtulerat is conseceratque incruentam hostiam Idibus Decembris anni sexcentissimi vicesimi quinti supra millesimum; consuetamque gratiarum actionem, sed insolito, quod ex vultu constaret, feruore peregerat; cum inde surgens, obuio forte Huberto Fornario Patris tunc Generalis familiari Ministro, Abi, Frater, inquit: & nuncia Patri nostro, ire me in valetudinarium, ibi, quando sic Deo visum est, breui moriturum. In mox decumbente lenta deprehensa est febris; quæ tamen biduò sic exarsit, vt vitæ discrimen appareret. Tertiam noctem insolitis grauem ærumnis habuit. quare Ministri Confessarium accersendum putabant: quem æger tamen vultu sua causa vexari intempesta hora. Comuni surgendi signo cunctis dato, ei ad se vocato peccata exponit: mox Sacrum viaticum expetit & percipit: ac statim dimissis adstantibus, horas solus duas tenerrimis cum præsentem IESV colloquijs absumit. Vnctione dein sacra præparatus ad extremam luctam, Patribus magno numero, nec sine lacrymis, circumstantibus lectum, & supremas quibus moribundos prosequitur Ecclesia, comprecationes recitantibus, præsentem semper animo

15
P. Carminata de Sacchinio testimonium.

16
Coniunctio eius cum Deo & studium orationis.

17
Deuotio eius in Sacrificio quotidiano.

18
Prædictio mortis.
13. Dec. 1625

19
Morbus eius supremus.

20
Obitus

16 Dec. 1625

Forma corporis .

In Bibliotheca Soc.

Scripta :

21
Inanis accu-
satio proli-
xitatibus .

mo & clara respondit voce , donec subito deficiens & IESVM inuo-
cans placidissime animam efflauit : finem vitae mortalis ac misere,
cum melioris , vt iure speramus , & aeternae principio continuans .
Obijt circiter meridiem , quarto morbi die , qui numerabatur xvii .
Kal. Ianuarias . Statura fuit procera & recta . vultu pleno dignitatis ,
quamquam colore subpallido & fusco , acribus oculis , longis praeter
modum manibus . Valetudine firma , nisi eam contentione irremissa
frangeret . Catalogum Editorum eius operum alibi descriptum non
retexo . contentus hic indicare : ipsius quoque foetum esse Vitam .
S. Paulini Episcopi Nolani , ex eius Sancti Patris Operibus & antiquis
alijs scriptis summo iudicio collectam , quam Heribertus Rosvveidus
noster sine nomine Autoris , quod ipse id prodi vetasset , edidit . Sunt
quibus prolixior , & dictu minutarum avidus congestor rerum in Hi-
storia nostra videatur . Poteram equidem hoc ab eo crimen plausible
ni fallor , defensione depellere : nisi longam excusationem longitudinis
minus hoc loco tempestiuam ducerem : & praeterea vererer ; ne patro-
cinio prolixitatis , praestruere mihi licentiam crederer in isto genere
peccandi : cum contra deliberatissimum habeam , quoniam sic placere
multis video , seueriori delectu dicendarum rerum , & quoad licet
contractiori stylo , nostras quae scribendae restant , Historias constrin-
gere .